



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. LIV. Item de Victoria Fratrum, in qua iterum MD. de Pomerania sunt
occisi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Conradus Landgr. Thuring. V. Mag. Gen. Ord. Teut.
Poppo de Osterna II. Mag. Provincialis in Prussia.*

Episcopus illum mortuum, ut diceret quis esset, & quare de sepulcro exiliisset, qui respondit, quod fuisset in terra Pruschiæ alienus per annum, & in reditu mortuus & ibi sepultus, & propter unum agrum quem vicino suo dum vixerat injuste abstulit damnatus fuisset, sed propter votum peregrinationis, ipse Christus, cujus injuriam vindicavit pœnam æternam in temporalem commutavit, ut scilicet in Purgatorio puniretur, quousque aliquis de propinquis suis redderet dictum agrum. Quo facto Episcopus quæsit, si aliquis notitiam haberet ejus? Cui respondit filius, quod ille mortuus esset pater ejus, & promitteret bona fide dictum agrum se redditurum, quo dicto Episcopus jussit dictum mortuum redire ad sepulcrum quod & ipse fecit. Ecce quantam gratiam confert ipse Christus & vivis & mortuis peregrinis, qui vicem ejus dolent in opprobrio suæ crucis & Ecclesiam sanctam ab oppressione infidelium exponendo res & corpora defendere non formidant.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Aquam lultralem primùm instituisse Alexandrum I. Papam, habet Platina in ejus *Vita*. Antiquum ejus aquæ in Ecclesia esse usum, cognoscimus ex Euseb. *lib. 10. Hist. Eccl. cap. 4.* Gregor. Nazianz. *Orat. 10.* aliis.
- (b) i. e. applicavit se ad parietem, sive innixus parieti. Vid. Gerhardus Joannes Vossius *lib. III. cap. I. pag. 370.* & *lib. IV. cap. I. pag. 679. de Vitiis Serm. Latini.*

CAP. LIV.

Item de Victoria Fratrum, in qua iterum MD. de Pomerania sunt occisi.

Post.

*Conradus Landgr. Thuring. V. Mag. Gen. Ord. Teut.
Poppo de Ostera II. Mag. Provincialis in Prussia.*

Postquam Legatus sedis Apostolicæ crucem in propriâ personâ prædicavit & iussit per alios in regnis & provinciis ad hoc deputatis prædicari, commoti sunt Principes & Nobiles de Almannia super contritione terræ Pruschia, misitque Dux Austriae in subsidium Drusigerum Dapiferum suum cum multa militia & viris exercitatis in bello, venit & Henricus de Lichtenstein miles, & cum eo plures peregrini. Cum his & Duce Casemiro Magister & fratres cum suis intraverunt terram Pomeraniae & potenter & hostiliter per transeundo IX. diebus & noctibus vastaverunt, sic quod non erat in ea angulus aliquis quod non rapina & incendio visitassent. Medio tempore quo hæc agerentur Svantepolcus cum suis subditis & Neophytis terræ Pruschia congregavit exercitum grandem nimis, & fratres cum suo exercitu recedentes sequens singulis noctibus mansit in eo loco, in quo fratres fixerunt tentoria sua, ligans (a) dextrarios suis, ubi fratrum equi erant prius locati & sic notans numerum tentorium & viarum diversitatem consideravit, quod exercitus suus in duplo fratrum exercitu Major esset, & gavissus est gaudio magno valdè, & confortans suos, consolatus est in hæc verba: Crastinâ die faciemus, quod Pomerani & Prutheni à jugo Teutonicorum in perpetuum absolventur. Manefacto dum fratres recederent, quidam de exercitu Svantepolci invaserunt spoliū quod multum fuit nimis. Occupavit enim duas leucas (b) & de viris qui ordinati sunt ad custodiam ejus XXX. occiderunt. Sed Drusigerus missus à Magistro quod considerans Dominus Henricus de Lichtenstein repentè irruit in hostes, & prædam quam abstulerant restituit in locum suum. Quo percepto Svantepolcus cum tribus turmis venit in auxilium suis, quos videntes Poloni perterriti omnes fugerunt, præter quendam militem Martinum

*Conradus Landgr. Thuring. V. Mag. Gen. Ord. Teur.
Poppo de Ostera II. Magister Provincialis in Prussia.*

tinum de Crudevitz vexilliferum & Ducem Casemirum, ad
cujus consilium statim missum fuit pro Domino Henrico de
Lichtenstein; medio tempore Fratres ordinaverunt se ad pu-
gnam. Sed Svantepolcus considerans quod fratres nollent
fugere, mandavit mille viris potioribus de exercitu suo, ut de
eqvis descenderent, informans eos, ut cum magno strepitu &
clamore fratres invaderent, & stantes retrò occultati (c) clypeis
cum Lanceis suis eqvos Christianorum transfigerent, dicens,
gravibus (c) onerati sunt armis & pedestres bellare non possunt.
Post ordinationem utriusque exercitus ad prælium, Dominus
Henricus reversus fuit, & intuens hostes ait ad fratres: pericu-
lum est in mora, accedamus ad eos; & irruerunt, cum impetu
in hostes, factusque est conflictus horribilis inter eos, & de ex-
ercitu Svantepolci in loco certaminis mille quingenti viri mor-
tui ceciderunt, de Christianis nullus fuit lethaliter vulneratus,
præter X. (a) dextrarios eorum, qui transfixi lanceis hostium oc-
cubuerunt. Sicque fratres & peregrini cum mille sexcentis
dextrariis adversariorum, & præda alia multa nimis & gloriosa
victoria redierunt, cooperante Domino nostro Jesu Christo,
qui est benedictus in secula seculorum Amen. Drusigerus Da-
pifer, qui prius tanquam formidolosus à bello cum suis recesser-
at, nunciavit in civitate Thorun fratres & peregrinos & totum
exercitum Christianorum in prælio cecidisse, & factus fuit tan-
tus plangens in terra Colmensi & Polonia à Christi fidelibus,
quantus à seculo est auditus. Sed crastina die circa horam ve-
sperarum, dum fratres cum suo exercitu victoriosè redirent, fa-
cta est lætitia magna in populo Christiano & tanta quod etiam
hesterniæ diei mœstitiam excedebat.

ANIMADVERSIONES.

(a) Occurrit hoc vocabulum *infra cap. 101. & cap. 239.* Quid autem per
dextrarios intelligatur, notavimus *ad cap. CIII.* (b)

*Conradus Landgr. Thur. V. Magister Gen. Ord. Teut.
Poppo de Osterna II. Magister Provincialis. in Pruss.*

(b) Schuzius lib. 1. fol. 24. habet: fast eine deutsche Meile
(c) Notari hic merentur arma Pomeranorum & Fratrum Ordinis Teu-
tonici.

CAP. LV.

De

*Reformatione pacis inter Swantepol-
cum & Fratres.*

Cum sic terra Pomeraniæ justo DEI iudicio esset depopulata, Swantepoleus Dux, qui ante tanquam leo rugiens, erecta cervice circuit, quærens quomodo fratres & novellam fidem cum multa Christiani sanguinis effusione plantatam in terra Pruschia destrueret. Nunc quasi agnus mansuetus, demisso vultu, inclinato capite, humiliter supplicavit fratribus, ut eum ad solitæ benignitatis suæ gratiam recipere dignarentur. Fratres attendentes, quod ipse in angustia positus semper sub simplici & agnina pelle cor vulpinum omni dolo & astutiâ plenum gereret, quod rei exitus approbavit, quia jam (a) tertia vice sub sacramento suo firmata fœdera pacis rupit, timebant ab eo iterum defraudari: Sed quia bonum pacis semper amplectendum est, propter eum qui est auctor pacis & amator, qui est Christus JESUS, idcirco post varios tractatus veterem inter se & dictum Ducem habitam (b) pacem secundum formam pristinam cum cruce signatorum consilio reformabant.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. LV.

(a) Connumerat hic & illa Pacta, quibus An. 1232. Sventepolcus, ut Princeps Christianus, se Ordini Teutonico contra Prussos paganos auxilio futurum promiserat. Catero qui bis tantum, ut cum reconciliato sibi hoste, pacta inierant Cruciferi. Primò An. 1243. *Vid. supra cap. 39.* Deinde An. 1244. *ut supra in titulo capituli 44. indicatur.*

U 3

AN.